



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Ernesti Schvberti S. Th. D. Et Prof. Primar.  
Academ. Helmstad. Abbatis Coenobii Ad Lap. St. Mich.  
Sem. Theol. Directoris Institvtiones Theologiae Moralis**

**Schubert, Johann E.**

**Ienae [u.a.], 1759**

Dissertatio Prooemialis De Theologia moralis natura, fatis & necessitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50801](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50801)

*DISSERTATIO*  
*PROOEMIALIS*  
DE  
THEOLOGIAE  
MORALIS  
NATVRA FATIS ET NECES-  
SITATE.

*Schub. Theol. Mor. Nat.*

A

DISSERTATIO  
PROOEMIUM  
DE  
THEOLOGIA  
MORALI  
NATURAE ET GRATAE



DISSERTATIO PROOEMIALIS  
 DE  
 THEOLOGIÆ MORALIS  
 NATVRA FATIS ET NECES-  
 SITATE.



§. I.

Quamquam operibus legis cor-  
 ruptus homo nec justifica-  
 ri nec salvari potest, *gra-  
 vis tamen in eum cadit obli-  
 gatio, legem DEi semper in  
 oculis ferendi, omnique studio servandi, id-  
 que*

Obligatio  
 hominis ad  
 servandam  
 legem.

1. tum propter sanctitatem & inviola-  
 bilitatem legis, cujus obligatio nullo  
 casu, nulla impotentia ab homine  
 contracta, tolli potest;
2. tum propter perpetuam omnium  
 homi-

- hominum dependentiam a DEO, & ad se invicem relationem;
3. tum propter internam conscientiam, seu legem cordibus inscriptam; Rom. II. 14. 15.
  4. tum denique propter divinam voluntatem, objurgatione gentium, quæ legem scientes, turpiter transgressæ erant, satis declaratam. Rom. I. 23. seqq.

Ab hac obligatione homo non liberatur vicaria legis adimplerione, qua Christus justitiam nobis comparavit. Hac enim justitia opus erat, quia homo vires perdidit, pie ac juste vivendi, & tamen sine perfecta justitia in judicio divino justificari non poterat. Tam insigne autem beneficium, quo homini operum inopia laboranti aliena justitia offertur, & pro ipsius propria acceptatur, tantum abest, ut veterem obligationem, legis sanctitate & naturali nexu DEum inter atque hominem fundatam, aboleat, ut potius eam confirmet, & augeat.

## §. II.

Inprimis  
regeniti.

*Inprimis hominem gratia DEi regentium & fide donatum legem DEi sancte servare oportet.* Extat enim

1. Multiplex DEi mandatum, quo studium

dium bonorum operum ab eo exigitur. Matth. V. 20. seqq. XIX. 17. XXII. 37. seqq. Jo. XIII. 34. 35. Rom. III. 8. VI. 19. XII. 1. 2. 2. Cor. V. 15. Gal. V. 16. seqq. 1. Theff. IV. 7. Tit. II. 11. 12. 1. Jo. II. 1. 15. &c.

2. Regeniti per fidem novis instructi sunt viribus, DEum colendi & sanctimoniam vitæ studendi. Gal. V. 6. Eph. II. 10. 1. Jo. V. 4. Jac. II. 17. 26.

3. Totque & tanta beneficia acceperunt a DEo, ut novas gravissimasque habeant causas, DEum diligendi, & faciendi, quod illi placet. Rom. VI. 15. 16. VIII. 1. 2. XII. 1. 2. Cor. V. 15. 1. Jo. IV. 19.

4. Hæc beneficia retinent, quamdiu fides adest. Illa vero rursus excutitur, nisi pietatis studium continuo exerceatur. Ezech. XVIII. 24. 1. Cor. III. 16. 17. VI. 19. X. 12. Eph. IV. 30. Quare cum gravior in eos cadat condemnatio, qui a fide desciscunt, 2. Pet. II. 20. 21. Ebr. VI. 4. 5. 6. X. 26. 27. illi præcipue operam dare debent, ne legem proterve transgrediantur.

5. Et quia religio, quam corde receperunt, & externe profitentur, malis operibus diffamatur, Rom. II. 24. 1. Pet. II. 12. III. 15. 15. majorem culpam peccando contrahunt, quam

qui gratiam regenerationis consecuti non sunt.

6. Denique bonis operibus firmior illorum redditur vocatio, 2. Pet. I. 10. Ebr. VI. 11. & ex illorum præsentia intelligunt, Spiritum sanctum in ipsis habitare, quod certissimum signum filiorum Dei est. Rom. VIII. 14. 15. 16.

§. III.

Theologia  
Moralis.

Scientia eorum, quæ homini regenito ex voluntate Dei peragenda sunt, dicitur THEOLOGIA MORALIS.

SCIENTIA tum *objective* tum *subjective* accipitur. Posteriores vocis significatum qui in hac definitione cooperare solent, scientiam sumunt pro HABITU PRACTICO, idque non tam ratione *finis*, quam *objecti*. Nos priorem significatum merito præferendum esse putamus. Theologia enim Moralis, quæ docetur & discitur, non est qualitas aut habitus personæ, sed collectio veritatum, certo nexu cohærentium, & ex indubiis principiis demonstrandarum. Cæterum quando hæc Theologiæ pars scientia eorum dicitur, quæ PERAGENDA sunt homini REGENITO, hoc ipso tum a Theologia Dogmatica, tum a Philosophia Morali distinguitur. Nam prior ea tradit, quæ CREDENDA sunt homini intuitu salutis. Posterior agenda quidem tra-

tractat, sed agenda ab HOMINE, QVA  
TALI.

## §. IV.

Ergo officia regenitorum præcipuum <sup>Potiora il-</sup>  
objectum Theologiæ Moralis sunt. (§. 3.) <sup>lius con-</sup>  
Quia vero ea nec cognosci possunt, nisi <sup>tenta,</sup>  
constet, quænam sint horum officiorum  
normæ & principia, nec adimpleri, nisi vi-  
ribus novis & spiritualibus homo instru-  
ctus sit, quarum acquirendarum, conser-  
vandarum, & augendarum certa gratiæ  
media a Deo tradita sunt homini, *tria po-*  
*tissimum complecti debet Theologia Moralis, do-*  
*ctrinam de principiis officiorum, de officiis ipsis,*  
*& de viribus spiritualibus.*

Postquam hæc Theologiæ pars diligentius  
tractari, & in formam scientiæ redigi cœ-  
pit, auctores in varias disciplinas, pro di-  
versitate materiarum, eam diviserunt.  
Nam dispescunt eam in THEOLOGIAM  
MORALEM *strictius sumptam*, in IVRIS-  
PRVDENTIAM DIVINAM, & in PRVDEN-  
TIAM CHRISTIANAM. THEOLOGIA  
MORALIS, quæ jam ut *pars Theologiæ*  
*Moralis latius acceptæ* consideratur, est  
doctrina de statu hominis regeniti, de viri-  
bus spiritualibus, & de illarum incremen-  
to. Solent tamen multa alia huic parti  
inseri, veluti doctrina de statu hominis na-



turali, de regeneratione ipsa, de differentia Naturæ & Gratia, de Virtutibus, & alia, quæ omnia scitu perutilia & necessaria sunt. **IURISPRVDENTIA DIVINA**, probe discernenda a Jurisprudencia Ecclesiastica, ipsa hominum regenitorum officia tradit. Et in hac disciplina simul de legibus, tanquam actionum normis & principiis, agi solet. Quemadmodum autem istæ leges non tantum certas actiones determinate præcipiunt, sed etiam judicandi copiam faciunt, quid in quocunque statu vel casu pro fine consequendo factu sit utile & salutare, ita huic legum applicationi destinata est singularis disciplina, quæ **PRVDENTIA CHRISTIANA** dicitur, ac in **COMMVNEM**, seu christianam strictè sic dictam, & **PASTORALEM** dispesci potest. Secundum ideam a nobis §. 4. formatam nostrum Systema & Jurisprudenciam divinam, & Theologiam Moralem strictius sumptam, & præterea aliam partem, quam forte non incommode dixeris **VNIVERSALEM THEOLOGIAM MORALEM**, complectetur. **PRVDENTIA CHRISTIANA COMMVNIS** partim in Jurisprudencia divina, partim in Theologia Morali strictius sumpta, partim vero etiam, cum casus conscientia evolvuntur & deciduntur, tractari potest. Et **PASTORALIS THEOLOGIA** licet ad Jurisprudenciam divinam referri posset, multo tamen

tamen diffusior est, quam ut in ea satis digne exponi posset. Hinc merito singularem disciplinam practicam constituit.

§. V.

Quicquid est dogmatum & officiorum, in Theologia Morali tradendorum, in sacris literis perspicue continetur. Inspirata enim est eum in finem Scriptura sacra, ut, quicquid creditu & factu necessarium est homini, æternam salutem consecuturo, ex ea disceret. Hinc non desunt principia certa & indubia, e quibus quodlibet assertum ad hanc disciplinam pertinens demonstrari possit. Et quoniam omnes veritates certo nexu cohærent, illæ etiam, de quibus Theologia Moralis præcipit, sic disponi poterunt, ut justo ordine & apta ad se invicem relatione exponantur. Inde vero nascitur scientia eorum, quæ homini regenito peragenda sunt. Quæ cum sit Theologia Moralis, (§. 3.) *nemo dubitat, quin ea sit possibilis.*

Possibilitas

§. VI.

Principium, ex quo haurienda est Theologia moralis, præcipue quidem est *Scriptura sacra*, quæ propterea & utilis esse dicitur *πρὸς ἐκπόρευσιν καὶ πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ*, ut homo Dei aptus & præparatus sit ad omne bonum opus peragendum.

Principia.

A 5

dum.

dum. 2. Tim. III. 16. 17. Quia vero officia *regentorum* non tollunt officia *hominum* naturalia, sed ea potius supponunt, & pro nova regentorum conditione & relatione novis augent, externa quoque revelatio voluntatis divinæ, ex qua regenti suam obligationem discunt, contraria esse non potest internæ illius revelationi, factæ per lumen rationis & conscientiæ, Theologo, qui Theologiam Moralem docet, ratio habenda est *Philosophiæ Moralis*, in qua leges naturæ & officia hominum, quæ talium, traduntur, ut, quæ interdum adesse videtur, contradictionem naturalium & revelatarum legum tollere possit, aut nonnulla Christianorum officia demonstraret, quæ scriptura supponit, aut implicite tantum præcipit. Neque negligenda est ab eo consideratio tum naturæ humanæ in se spectatæ, tum illius corruptionis & restitutionis. Natura namque hominis in se spectata est subjectum, præceptis & usu Theologiæ Moralis corrigendum & perficiendum. Oportet igitur scire, quænam illius sint facultates essentielles, quem habeat modum operandi, & quomodo flecti ac moveri possit. Corruptio humanæ naturæ ideo attendenda est, ut intelligatur illius impotentia ad bonum, & necessitas regenerationis per gratiam, nec non, quænam infirmitates naturæ jam renovatæ ad-

huc

huc adhæreant, & quibus mediis opus sit, vitium conatum coercendi, frangendi, & minuendi. Denique & restauratio humanæ naturæ ante oculos habenda est, tum ut constet, quænam sit vera ratio bonorum operum, quæ in scriptura dicuntur fructus fidei & pœnitentiæ, tum ut intelligatur, quomodo homo in hunc statum feliciorum transponatur, vires novas acquirat, & in sanctimonia vitæ crescat. Quæ cum ita sint, *Theologia Moralis proprie quidem haurienda & discenda est*

1. *Ex scriptura sacra*; simul vero adhibenda
2. *Philosophia Moralis*, atque illi addenda
3. *Psychologia*, quæ naturam & facultates humanæ mentis exponit, &
4. *Theologia Dogmatica*, quæ inter alia de statu hominis corrupto & restituto agit.

Istæ scientiæ non male dicuntur PRINCIPIA THEOLOGICÆ MORALIS. Sed distinguendum est inter principium PROPRIUM & COMMUNE. Illud omnia continet plene & adæquate, quæ ad aliquam disciplinam pertinent, & hinc destinatum est, ut ex eo addiscatur. Quia vero nonnulla tantum implicite continet, quandoque opus est lemmate, ex alia disciplina petendo, quo mediante conclusio ex principio eruitur. Juxta hanc notionem sola scriptura est prin-

principium Theologiæ Moralis *proprium*, Philosophia vero Moralis & Psychologia tantum *commune*. Licet vero etiam nonnullæ conclusiones occurrant, quæ ex sola Philosophia demonstrari possunt, in Theologia tamen morali homini regenito ex divina revelatione traduntur, & sic, quæ in se sunt naturales, ratione principii & finis theologicæ sunt. Doctrina de statu corrupto & restaurato hominis ex parte quidem in Theologia Morali exponitur, atque hinc ad illius objectum pertinet. (§. 4.) Quia vero non tota, sed tantum ex parte traditur in Theologia Morali, quatenus defectus virium naturalium, indoles spiritualium, illarum acquisitio, conservatio, & augmentatio cognoscenda sunt, quæ omnia pleniorum corruptionis & restorationis notitiam, ex Theologia dogmatica hauriendam, supponunt, & præterea illius magna est utilitas, quin necessitas, in exponendis ac demonstrandis officiis regeneratorum, motivisque & mediis adhibendis, recte illa pars præcipua Theologiæ ad principia Theologiæ Moralis refertur.

## §. VII.

Necessitas.

Si Theologiam Moralem tantum ratione objecti spectemus, fieri haud potest, quin summa illius sit necessitas. (§. 2. 3.) Sed si eam ut singularem disciplinam aut scien-

scientiam consideremus, quæri posset, num hoc respectu sit necessaria? Leges enim, quibus DEO obligamur, extant in sacris literis. Officia a nobis adimplenda serio inculcantur. Crebræ occurrunt admonitiones, promissiones, comminationes, aliaque motiva. Unde satis esse videtur, ut homo sciendi cupidus, quid sibi peragendum vel omittendum sit, ad scripturam simpliciter rejiciatur. Sed simul observari debet, multas leges finistris interpretationibus in falsos sensus detorqueri; quarundam obligationem a nonnullis limitari vel negari; ab aliis leges fingi, quas scriptura ignorat; quandoque apparentes adesse contradictiones, quas simpliciores tollere nesciunt; legum applicationes nonnullas quidem ostendi, longe plures vero hominum meditationi relictas esse; officia regentium neque in nexu seu relatione ad se invicem tradi, neque semper satis explicari; nonnulla illorum implite tantum proponi, ipsorummet lectorum studio investiganda; rationem obligationis & motiva non raro diligenti meditatione eruenda, atque hinc inde colligenda esse; modum, quo legi satisfieri possit, mediaque adhibenda quandoque esse obscura, multisque ignota; dari casus dubios, qui conscientiam vexant; &c. Quæ omnia qui recte expendit, facile intelli-

telliget, quam utile & necessarium sit, ut Christianorum officia colligantur, recte explicentur, solide demonstrantur, & cum materiis sibi annexis in formam scientiæ redigantur.

Itaque non absolutam sed hypotheticam necessitatem asserimus, quæ insigni utilitate non parum augetur, quam studiosi & futuri doctores pietatis christianæ ex hoc institutionis genere capiunt.

### §. VIII.

Fata  
Theolog.  
Mor. tem-  
pore Pa-  
rum.

Viderunt hanc necessitatem, qui ab initio Ecclesiam Christi docuerunt. Primi vero Patres, qui ætatem Apostolorum immediate attingebant, horum morem sequuti, moralia dogmaticis immiscebant, & fere omnia solis cohortationibus complectebantur. Hos qui sequebantur, illud christianum populum instituendi genus non quidem prorsus deserebant, majori tamen cura sacram morum doctrinam elaborabant. Sed plerumque sufficiebat illis, unum alterumve officium seorsim inculcare. Idque tum homiliis & sermonibus, tum singularibus tractatibus & epistolis peragebant. Observandum tamen est, hæc scripta non semper ad internam cordis sanctitatem, sed magnam illorum partem ad externam disciplinam spectare, quæ apud Veteres in magno erat pretio.

Non.

Nonnulli, licet paucissimi, hanc Theologiae partem plenius & ex instituto tractare, vitamque & mores Christianorum certis regulis circumscribere instituerunt. Præstiterunt id CLEMENS ALEXANDRINVS in suo *Pedagogo*, Libris III. comprehenso; AMBROSIVS in *Libris tribus Officiorum*; AVGVSTINVS in *Euchiridio de Fide, Spe, & Caritate*. Sed invenient, qui Auctores istos adeunt, non omnia, sed ea duntaxat officia urgeri, vitiaque contraria perstringi, de quibus pro conditione illorum temporum præcipue agendum erat; neque ea, quæ tractantur, ex genuinis suis principiis derivari, sed stylo magis oratorio proponi; multo minus autem doctrinam de legibus divinis, de corruptione hominum naturali, de viribus spiritualibus, ejusdemque generis aliis rebus plene & perspicue, ut par erat, tradi. Postremum quod attinet, AVGVSTINVS quidem in suis contra PELAGIVM disputationibus copiose discussit. Sed prudentiores sine dubio fatebuntur, libris ejus de *Natura & Gratia*, de *Libero Arbitrio*, &c. multum adhuc obscuritatis & imperfectionis inesse. Quare nullum ab antiquis illis Patribus editum est scriptum, quod justa & sufficiens Theologiae Moralis Institutio censeri posset.

De opinionum qualitate, quæ his auctoribus  
pla



placuerunt, jam non disputo. Constat inter omnes, suis & hac in parte navis non caruisse. Inprimis IOANNES BARBEYRACIVS in *Prefatione*, quam PVFFENDORFII *Juri Naturæ & Gentium*, in Gallicum idioma verso præmisit, multos Patrum errores, non exigui momenti, de industria notavit. Cujus censura cum nimis acerba nec vero prorsus consentanea nonnullis videretur, REMIGIVS CEILLIER illorum auctoritatem sibi vindicandam sumpsit, libro Parisiis 1718. edito, cui titulum fecit: *Apologie de la Morale des Peres de l'Eglise contre les injustes accusations du Sieur Jean Barbeyrac*. Sed celeberrimos illos disputatores in extrema sibi opposita delapsos esse, jam dudum ante me observatum est a Viris doctis.

## §. IX.

Et tempore scholasticorum.

Crescente ignorantia & superstitione seculis, quæ Patrum tempora sequebantur, denique Sec. XII. nova orta est Theologorum familia, qui SCHOLASTICORVM nomine ornabantur. Hi non tantum Theologiam Dogmaticam in aliam formam transfundebant, verum etiam Moralem e tenebris rursus protrahere, explicare, & disponere laborabant. Qui principes in hoc genere Doctorum habentur, utramque Theologiæ partem in unum systema cogebant.

bant. Quid vero ab illis præstitum sit, ratio docendi a LOMBARDO adhibita, quam reliqui sequebantur scholastici, docebit. Is Lib. III. Sent. Dist. XXIII. quæstionem movet, num Christus habuerit fidem, spem, & charitatem? Inde vero occasionem accipit, de his tribus virtutibus, quibus juxta AVGVSTINVM tota vita christiana contineatur, & quæ THEOLOGICÆ vocabantur, prolixè differendi. Ab his ad quatuor virtutes MORALES seu CARDINALES progreditur, iisque discussis de septem donis Sp. S. de Decalogo, deque officiis & vitiis, in decalogo præceptis vel prohibitis, agit. Illa igitur incidens quæstio, qua LOMBARDVS carere potuisset, ideo tantum mota esse videtur, ut aptam haberet occasionem, sententiis suis ad Dogmata Theologica pertinentibus Theologiam Moralem inferendi. Cui vero ne quid deficeret, adjecit librum quartum, qui totus doctrinam de Sacramentis copiosè exponit. Ab hoc tempore multi extiterunt, qui non tantum omnes quatuor libros sententiarum interpretati sunt, sed etiam, qui partem posteriorem libri tertii suis commentariis seorsim illustrarunt. Atque hi nomine MORALISTARVM a reliquis Scholasticis distinguebantur, quorum numerus insigniter auctus est, postquam & THOMAS de

Schub. Theol. Moral.

B

AQVI-

AQVINO in *secunda Secunda* hanc Theologiæ partem suo more tractare cœpit. Ille quidem in eo sequebatur LOMBARDVM, quod in *sua summa* Theologiam Moralem cum Dogmatica conjungeret, omniaque ejus capita ad tres virtutes theologicas, & quatuor morales, ad septem dona Sp. S. & ad præcepta Decalogi revocaret. Sed materias aliter disponebat. Nam *secunda Secunda* duo tantum potiora habet capita. In priori virtutes theologicæ, in posteriori morales pertractantur. Quod vero de donis Sp. S. & de præceptis decalogi dicendum videbatur, ita inter hæc duo capita partitus est, ut ubique significaret, quænam decalogi præcepta hanc illamve virtutem commendarent, & quibusnam donis ad eam acquirendam & exercendam opus esset. Hic ordo cum reliquo Scholasticorum agmini magis placeret, & præterea THOMAS longe diffusior & subtilior esset in discernendis ac discutendis materiis, plures quoque nactus est commentatores. Ex iis autem, quæ dicta sunt, & ex ipsa librorum inspectione videmus, SCHOLASTICORVM THEOLOGIAM MORALEM esse doctrinam de virtutibus theologicis & philosophicis, quæ nimia subtilitate & rationibus plerumque philosophicis discutuntur, interjectis subinde

ca-

casuum dubiorum resolutionibus, legumque ecclesiasticarum applicationibus.

§. X.

Non miror, hanc Theologiam Moralem docendi rationem non omnibus æque placuisse. Multis enim inanibus speculationibus, inutilissimis quæstionibus, rixosis contentionibus, & philosophicis subtilitatibus, quæ nullam vim cor hominis emendandi habebant, referta erat. Sed nec prorsus approbare possum, quam tunc diligentius excòlere cœperunt MYSTICI, Theologiam. MYSTICORVM nomine hoc loco intelligo, qui arctiorem cum Deo unionem non ex divinarum rerum cognitione extrinsecus haurienda, sed ex interni luminis divini, hominibus innati, excitatione repetendam esse censebant. Sunt, qui primam hujus Theologiæ originem ad ORIGENIS tempora rejiciunt. Is enim cum dogmata theologica accurate definienda, sedulo scrutanda, eorumque rationes ex philosophia reddendas esse doceret, aliis hoc studium inutile, imo noxium videbatur, contendentibus, ad intuitionem & fruitionem Dei sufficere illam divinitatis

Theologia Mystica.

ogia  
qui-  
uod  
um  
ejus  
qua-  
&  
ma-  
nda  
api-  
po-  
uod  
eca-  
nac  
nifi-  
c il-  
qui-  
ex-  
re-  
ace-  
r &  
ten-  
om-  
icta  
vi-  
AM  
bus  
mia  
ilo-  
nde  
ca-



tis particulam, quæ hominum mentibus infusa esset, quamque nihil aliud, quam ipsam rationem, fuisse, non sine causa credo. Hoc itaque internum ac divinum lumen, putabant, excitandum esse, ut doceret & sanctificaret, non theoretico humanæ eruditionis, sed pratico mundum resque sensuales fugiendi studio. Quoniam auctore hoc Theologiæ genus introductum fit in Ecclesiam, obicurum est. Circa medium Seculi quarti autem suos jam habuisse admiratores & promotores, ex scriptis PSEUDO-DIONYSII AREOPAGITÆ patet, qui in Lib. *de Cœlesti Hierarchia*, *de Nominibus divinis*, *de Ecclesiastica Hierarchia*, & *de Theologia Mystica* multa huc pertinentia collegit. Ad Occidentales vero hæc arcana disciplina seculo demum non transit. Hujus namque DIONYSII scripta LUDOVICO PIO Imp. dono miserat MICHAEL BALBUS, Græcorum Imperator. Tam pretiosum opus, ut & Latinis magis innotesceret, in eorum sermonem verti iussit LUDOVICVS. Quisnam illorum primus fuerit interpres, non constat. Sed sine dubio obscuriorem multisque vitiis scatentem ejus versionem fuisse oportet. Nam paulo post alia eademque melior iussu CAROLI CALVI composita est a IOANNE ERIGENA, SCOTO. His omnibus sapientia

entia dionysiana tantopere commendabatur, ut & in Ecclesia Occidentali plurimos nancisceretur æstimatores & patronos. Majori vero contentione excoli cœpit Theologia Mystica, cum Scholastici caput extollerent. BERNHARDVS acerrimus fuerat Dialecticorum hostis. Hujus ergo celeberrimi viri auctoritate se armabant, qui contra Scholasticos disputabant, Mystici, atque hoc clypeo tecti tam feliciter pugnasse videntur, ut & ipsi Scholastici, metu adacti, Theologiam Mysticam se magni facere simularent, ac Dionysium, Mysticorum Parentem, illustrare instituerent. Qui vero rem serio agebant, præcipui sunt GVIBERTVS, Sec. XII. scriptor, qui *Moralium in Jobum Libros decem, in Amosum unum, & in Lamentationes Jeremia unum* composuit; HUMBERTVS DE ROMANIS, Sec. XIII. Scriptor, *Institutionum spiritualium*, libris 6. comprehensarum, auctor; IOANNES TAVLERVS, Sec. XIV. scriptor, cujus scripta mystica junctim edita adhuc hodie extant, & a multis in magno pretio habentur; THOMAS a KEMPIS, Sec. XV. scriptor, cujus *Libri 4. de Imitatione Christi* præcipue noti sunt omnibus, multisque laudibus extolluntur. De quibus tamen notandum, quod, licet suis non careant erroribus, Mysticorum tamen illius ætatis saniores

B 3

sint.

sint. Qui enim opiniones manifesto impias & fanaticas sparserunt, hoc loco præterimus.

THEOLOGIA MYSTICA vi vocis est *Theologia arcana*, & quia nihil magis arcanum est, quam mysterium Trinitatis & Incarnationis, illud proprie foret objectum Theologiæ mysticæ. Sed nec minus res arcana est hominum regeneratio & unio cum Deo, Jo. III. 7. 8. quam scriptura plerumque terminis metaphoricis proponit. Qui ergo hanc Theologiæ partem tradebant, Mystici appellabantur. Unde Theologia Mystica a Morali non differt. Quia vero multi Patrum principiis philosophiæ platonici imbuti erant, atque inter locutiones biblicas & platonicas aliquam similitudinem observabant, hoc Theologiæ caput ad mentem Platonis de physica vel substantiali quadam unione explicabant. Hinc ortum est discrimen inter PURIOREM & IMPURIOREM Theologiam mysticam, quam posteriorem DIONYSIVS ille, Arcopagita falso dictus, suis scriptis complexus est. A tempore Scholasticorum omnes isti vocabantur mystici, qui nec linguam, nec methodum, nec disputationes eorum in tradenda Theologia Morali adhibebant, sed stylo liberiori terminis

minis

minisque biblicis ad excitandam pietatem utebantur. Hæc erat docendi ratio ASCETICORVM, qui non tam notitiam quam exercitium officiorum urgebant. Unde & hi pro Mysticis plerumque habebantur, quorum nonnulli, ne quid diffitear, pio affectu & non sine fructu praxin pietatis commendabant. Quia vero parum sani jam tum erat in Theologia Pontificiorum, superstitio Ecclesiæ Romanæ pro vera pietate habebatur, plerique Dionysium sequuti formulas loquendi valde obscuras adhibebant, quibus essentialis unio cum Deo significari videbatur, & pietatis studium sine prævia recta & distincta officiorum rerumque divinarum notitia urgebant, Theologia mystica hujus ætatis recte a nobis improbatur, adjecta tamen admonitione, hæc vitia in quibusdam scriptis rarius, in aliis frequentius & copiosius occurrere. Cæterum Historiam Theologiæ Mysticæ ex instituto illustrarunt B. ADAMVS RECHENBERG in *Disp. de Origine Theologiæ Mysticæ*, quæ *Exercitationibus* ejus in N. T. inserta est; GOTTFR. ARNOLD in *Historia & Descriptione Theologiæ Mysticæ*; PETRVS POIRET in *Epistola de Princ. & Charact. præcipuorum Scriptorum Mysticorum*, quæ annexa est ARNOLDI scripto jam citato. Adde, quæ ha-



bet B. IO. FRANC. BVDDEVS in *Isag.*  
*Lib. II. Cap. IV. §. 8. p. 600. seqq.* &  
 S. V. CHRIST. KOECHER in *Conspectu*  
*Theol. Univ. Cap. IV. Sect. VII, p. 262.*  
*seqq.*

## §. XI.

Fata  
 Theolog.  
 Moral. a-  
 pud Prote-  
 stantes,

Cum sacra ministerio B. LVTHERI re-  
 purgarentur, simul aliam faciem induit  
 Theologia Moralis. Fieri enim haud pot-  
 erat, ut dogmata sana restituerentur, sacra  
 vero morum disciplina suis coinquinata  
 maneret fordibus. Expulerunt nempe  
 beati Reformatores ante omnia veteres  
 superstitiones humanasque traditiones in  
 papatu adjectas; sustulerunt falsas opinio-  
 nes de qualitate & merito bonorum ope-  
 rum; monstrarunt justam relationem pie-  
 tatis ad fidem ac salutem; legem Dei, quæ  
 unica officiorum norma est, recte inter-  
 pretati sunt; veram hominis corrupti re-  
 generationem, veraque unionis cum Deo  
 media, ordinem, gradus &c. demonstra-  
 runt. Methodus autem, quam sequeban-  
 tur, eadem non erat omnibus. Multi  
 more Asceticorum sanctimoniam vitæ in-  
 culcabant, compositis sermonibus & ho-  
 miliis, quibus aut pericopas evangelicas &  
 epistolicas, aut decalogum, aut aliam  
 par-

partem sacri codicis illustrabant, & in auditorum vel lectorum usus convertebant. Alii vero, qui scholæ magis inservire volebant, methodum scholasticam seu systematicam retinebant, Theologiam Moralem connectentes cum dogmatica. Horum dux erat PHILIPPVS MELANCHTHON, qui in *Locis Communibus* non tantum Theologiam Dogmaticam tractabat, sed & Moralia subinde interponebat, ubi commodus erat de illis differendi locus. Varia huc pertinentia leguntur in Art. de Libero Arbitrio, Lege, Peccato, Bonis Operibus, &c. Quin & nonnulla capita mere practica inferebat & addebat, qualia sunt Locus de Vindicta, Paupertate, Castitate, Cruce, Precibus, Magistratu Politico &c. Atque ad hanc Methodum reliqui suas Institutiones componebant. Primus, qui Theologiam Moralem a Dogmatica sejunxit, & seorsim tradidit, est B. noster GEORGIUS CALIXTVS. Edidit namque *Epitomen Theologiæ Moralis*, ac in ea de Fine & Subjecto Theologiæ Moralis, de Principiis actionum hominis renati, & de Legibus egit. Opus erat imperfectum, qualia esse solent, quæ sui generis prima sunt. Interim suo exemplo alios Theologos excitavit CALIXTVS, ut simile quid tentarent. Prodierunt ergo varia

B 5 com-

compendia & Systemata Theologiæ Moral<sup>is</sup>, quorum seriem exhibere, nimis prolixum foret. Hoc unicum observari liceat, quod libri isti tum materiis tum ordine a se invicem differant. In aliis Christianorum officia traduntur, in aliis simul principia officiorum una cum tota doctrina de vita spirituali. Alii qualibet officia comprehendunt, alii tantum ea quæ Christianorum sunt communia. Hi orti sunt nomina discretiva THEOLOGIE MORALIS, IURISPRUDENTIÆ DIVINÆ, THEOLOGIE PASTORALIS, &c. Ratione Methodi plerique quidem sunt systematici, si nec defuerunt THEOLOGIE MYSTICÆ cultores, quorum præcipuus & utilissimus sine dubio est IOANNES ARNDIUS. Hi vero omnes ea duntaxat tradiderunt, quæ placide sunt, & difficultate carent, minime vero ea, quæ ad informandam conscientiam in casibus dubiis pertinent. Hac in parte vexatos & discendi cupidos Theologi instituebant responsis ad quæstiones sibi propositas redditis, quorum dein varia prædierunt collectiones. Nonnulli THEOLOGIAS CASVISTICAS componebant, in quibus secundum ordinem Locorum Theologicorum casus dubios ipsi formabant, & quid agendum esset, suis decisionibus rationibus commonstrabant. Hac ratio

ne nulla est Theologiae Moralis pars, quae non satis excolta esset a nostris Theologis.

§. XII.

Quantum nos videmus, THEOLOGIA MORALIS optime dispesci potest in VNI-  
VERSALEM & PASTORALEM. Hæc sola  
Ministorum Ecclesiae, qua talium, illa ve-  
ro officia omnibus Christianis in quocun-  
que statu existentibus communia tradit.  
Quod enim THEOLOGIAM CASVISTICAM  
attinet, satis est, ut principia practica ad  
casus obvios applicentur. Et cum non-  
nulli illorum sapius occurrant, utile &  
commendandum est Theologorum stu-  
dium, qui casus frequentiores per varios  
titulos digestos certo ordine discussissent.  
Plenum vero illius systema elaborari haud  
posse, credo. Methodus utramque par-  
tem Theologiae Moralis tractandi & SCHO-  
LASTICA & MYSTICA esse potest. Prior  
distinctis rerum notionibus, systematica  
materiarum dispositione, solidisque de-  
monstrationibus, adhibitis, ubi opus esse  
videtur, terminis artificialibus & philoso-  
phicis, continetur. Posterior tum libe-  
riori ordine, tum vulgari dicendi genere  
constat, ad singulorum captum compo-  
sita

Divisio  
Theolog.  
Moralis.

fito, & affectum excitandum idoneo, pur  
Utraque suam habet utilitatem, & ba  
prior quidem scholæ, posterior Ecclesia  
destinari debet. Neutra negligere pot  
est locutiones biblicas, quibus ipse De  
Spiritus regenerationem, unionem fide  
lium cum Deo, vitam spiritualem, e  
jusque incrementa docuit. Sed diver  
sa est eas explicandi ratio. Systemati  
cus utitur definitionibus philosophicis  
propriis, & magis accuratis. Rationer  
enim habet solidæ scientiæ, institution  
aliorum tum ad docendum tum ad r  
tionem reddendam, nec non disput  
tionum, quibus & hac in parte contra  
adversarios non semper carere possi  
mus. Mysticus ab his subtilitatibus ab  
stinet, locutiones biblicas clare tantum  
& ad vulgares hominum conceptus ex  
plicat, exemplis & similibus magis do  
cet, quam definitionibus. Illius enim  
est, affectum movere, & pietatis stu  
dium in omnibus excitare. Hoc unicuique  
tantum sibi commendatum habeat, ne  
verborum obscuritate & ambiguitate fa  
los conceptus in mentibus lectorum g  
gnat, operationes Sp. S. in phycos  
immediatos tactus convertat, essentialer  
cum Deo unionem fingat, & sic in in

puriorē Theologiam mysticā prola-  
batur.

§. XIII.

Nobis jam constitutum est, eam Theo-  
logiæ Moralis partem tradere, quam <sup>Institutum</sup> UNI-  
<sup>Auctoris.</sup> VERSALEM diximus. Et quia hæc tria  
præcipue momenta continet, principia  
officiorum, officia ipsa, & vires spiritua-  
les, quibus illa adimplenda sunt, (§. 4.)  
nos quoque hoc scriptum in tres partes  
dividemus, quarum

- I. De Normis & principiis officiorum chri-  
stiani,
- II. De Officiis ipsis, &
- III. De Viribus regenitorum spirituali-  
bus aget.

Hæc methodus commodissima & aptissi-  
ma mihi videtur. Cum enim officia  
Christianorum præcipuum objectum Theo-  
logiæ Moralis constituent, ea vero ex-  
plicari, doceri, & demonstrari nequeant,  
nisi præcesserint notiones morales, e  
quibus omnis obligationis fundamentum  
peten-

petendum est, recte præmittitur doctrina de normis & principiis officiorum. Tunc ipsa Christianorum officia recensentur. Quo facto quæstio est, num homini naturali vires adhuc supersint, ea adimplendi, &, si desint, quomodo illas acquirat, conservet, & augetur. Hæc omnia ergo ad partem ultimam rejiciuntur.



**PARS**